

2.
3
4
5
6
7
8



1688.

1. Barth, Godefridus: De beneficio ab hereditate ^{te} hereditatem paterna ad effectum exigenti dote promissa. Rec.

1747.

2. Berger, Christian Godefridus: De anno intercalari.

3. Fed. Ferber, Carl Theodorus: De stipulatione tertio

facta.

4. Glaserus, Hieronymus Fridricus: De circumductione

heredes.

5. Jacobi, Christianus Benjaminus: De curatore mulieris

Saxonicis. 2 Exempl. 1688: 1717.

6. Ludovici, Christianus: De officio delinquentium
instructa poenarum.

7. Menckenus, Luederus: De lege commutatoria
jure reprobata. 2 Exempl. 1688: 1737.

8. Menckenus, Luederus: De impunitate unius
in delictis. 2 Exempl.

1688.

9. Nuchius, Johannes: De variis leserarum veteribus
usurpatarum generibus.
10. Nylius, Andreas: De exceptione excessionis extraneae
possessori competente.
11. Nylius, Andreas: De provasallo.
12. Nylius, Andreas: De iuribus circa musicos
ecclesiasticos.
13. Philippus, Fridorius: De praescriptione immunitatis
in tributis. 2. Edit. 1688: 1745
14. Prinius, Jo. Georg: ΠΕΝΤΟΥ ΨΕΥΔΟΣ seu primus
falsum Thomae Hobbesii.
15. Rechenberg, Adamus: De strategematis pal. facis
16. Rechenberg, Adamus: De mutatione formae status
que 1. Imperii R. Germanici.
17. Redel, Carolus Andreas: De defensione sui
adversus aggressorem.

1688

18. Redel, Carolus Aureus: De juramento coacto
19. Schreiter, Christophorus: De divisione rerum
Communium. Dep. I. Preliminaria divisionis
20. Schrencken dofferus, Barthel. Leonhardus: De bonorum
de communiore bonorum conjugali
21. Seuff, Carolus Samuel: De oneribus funeribus
veterum.
- 22^{a. b.} Thomasius, Christianus: De sponsione Po.
maniana Numantina. 2 Seuff. 1688. 1731.
23. Istius, Guillielm. Gerhardt: De obligatione ex
testamento imperfecto.

16

10

10

11

12

13

14

1

16

1

Faint, illegible handwritten text in German script, possibly a list or index, covering the majority of the page.



bst.

1688, 6 207
53.
M

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MORALIS

De

OFFICIO

DELINQVENTIUM

INTUITU POENARUM,

Quam

Inclytæ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

indultu

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

subjicit

P R Æ S E S

M. CHRISTIANUS LUDOVICI,

Landeshutâ - Silesius,

&

R E S P O N D E N S

MARTINUS Grünwald / Zittâ-Lufatus,

Philos. Studios.

Die XI. Aprilis, Anno M DC LXXXVIII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ, TYPIS CHRISTIANI GOEZI.

Nobilissimo, Excellentissimo, Con-
sultissimoq; Domino,

DN. JOH. JOACHIMO
Rothe /

Sereniss. ac Potentissimi Electoris Saxo-
niæ Præfecto in Circulo Lipsiensi
& Lipsiæ,

Domino Patrono, Promotori & Hospiti
in se beneficentissimo, liberalissimoq;

in tesseram grati animi

Specimen hoc Academicum

humillimè offert

Præses:



I. N. J.

§. I.

Deraque delictorum, imprimis eorum, quæ ad alios terminantur, duo involvunt, primùm quidem defectum aberrationem à normâ Legis; deinde [damnum alteri per ea datum; hic restitutionem damni dati, ibi pœnam Lex exigit.

§. II.

Restitutionem ablati ex lege naturæ: *damnum datum est resarciendum*, deberi, extra dubium est *a)* fluit enim illa ipsa ex aliâ lege naturæ summè necessariâ: *Neminem læde*: quæ sanè vana & inutilis foret, si, ubi quis læsus fuerit, sua non repetere, lædenti autem re furtivâ securè frui liceat. Dubio etiam caret, pœnam positivam humanam in se æquitati naturali non modo non repugnare; sed potius ad salutarem usum generi humano summè necessariam esse, tum quia pœna homines à peccatis abstrahit: oderunt enim peccare mali formidine pœnæ; tum quia sine eâ vis Imperii omnis periret. *b)* Sed an, & quânam ex ratione delinquens ad pœnas sustinendas obligetur? res paulo intricatior est & difficilior. Facile tamen omnis difficultas superabitur, modo prius distinctos de pœnâ conceptus per descriptionem & aliqualem ejus expositionem formaverimus.

a) Grot. de J. B. & P. lib. II. cap. XVII, 1.

b) Huc facit elegantissimus locus Arist. lib. X. Ethic. c. 9.

§. II.

Definitio ergo hæc esto: Pœna est malum passionis, quod superior

rior ob malum actionis infligit invito in emendationem communem civium.

§. IV.

Quod in definitione primò sese nobis offert, & omnium maxime explicari meretur, est terminus; *malum passionis*: sed condonabitur nobis, si methodi & connexionis gratiâ reliquarum partium expositionem præmiserimus.

§. V.

Persona, quæ jus infligendi pœnas habet, *superior* est: partim, quod solus superior arbiter publici sit, partim quod pœnæ non nisi propter delicta infligantur, delicta præsupponant leges, legis autem violationem nemo vindicare possit, nisi qui tulit, & is est solus superior. *Becm. Meditat. Polit. Diff. XV, 3.*

§. VI.

Sed vox superior varios admittit significatus: nos reliquis missis hic tantum annotamus: superiorem alium *imperio* esse, alium *Virtute*; hic superioritatem per vitam à delictis abstinentem nascitur, ille eam ex pacto tanquam partem Majestatis habet. Quæritur itaque, an etiam *virtute* superior jure gaudeat violatores Legum pœnis coercendi? Affirmat id Grotius in his verbis: tunc demonstrari posse necessarium esse, ut subjectum juris hujus superior sit, si vox superior eò sumatur sensu, ut is, qui malè agit, eò ipsò se inferiorem censeatur fecisse, & quasi ex hominum censu detrussisse in censum bestiarum, quæ subjacent homini. a) Sed hoc assertum Grotii stare non posse, demonstrarunt dudum viri doctissimi, utpote natum partim ex falsâ hypothese ejus; quælibet vitia ita deformare hominis dignitatem, ut ob ea in censum bestiarum veniat, virtuosoque cuilibet subjectus sit: partim ex confusione correctionis fraternæ, seu verbalis coercionis cum pœnâ, cum tamen illa charitatis sit actus, hæc justitiæ; b) partim ex confusione pœnæ cum vindictâ, quam probè cavendam atque accuratè unam ab aliâ distinguendam esse passim monent commentatores Grotii; cum distinctissima sint, & illa in statu civili, & ab Imperante, & ob emendationem

a) *J. B. & P. lib. II. c. XX. 3.*

b) *D. Alberti Compend. J. N. Part. II. c. XVI, 12.*

nem commnem, hæc in statu naturali, etiam à pari, & in assecurati-
onem propriam inferatur.

§. VII.

Id quod pœnam meretur, est malum actionis sive delictum,
quod cum non sit adeò controversum, & termini etiam sint clari, pe-
dem promovemus demonstrari, quod pœna non nisi invito infliga-
tur, hoc modo: pœna est malum passionis, quod involvit molestiam,
molestia infert dolorem, dolorem homo averfatur, quicquid autem a-
verfatur, id non nisi invitus præstat. *Beem. l. c. Diff. XV, §.*

§. IIX.

Habet tamen averfatio pro ratione pœnæ suos gradus, & is jam
averfari malum & pœnam invitus sustinere censendus est, qui saltem
vultu aliisque signis molestiam & dolorem significat: nam & hoc modo
obtinetur finis pœnarum, emendatio civium communis; modo pec-
candi libido in animis civium non sit tanta, ut non nisi gravioribus do-
loribus reprimi possit, tunc enim crescentibus delictis crescere debent
pœnæ. *Conf. Samuel. Rachel. Disquis. Philos. de Pœnis, §. 26. seqq.*

§. IX.

Finis obiter jam facta est mentio, nempe emendationis Civi-
vium communis, eamque primariò intendendam esse asserere jubet na-
tura regalium, ad quæ pœna pertinet; quippe quæ utilitatem potissi-
mum communem respiciunt. Adde quod hic finis reliquos sub se in
suo ambitu comprehendat. *D. Thomas. Jurisprud. Divin. lib. III. cap.
VII. 32. seqq.*

§. X.

His præmissis priora definitionis verba assumamus. Dixi cum
Grotio, pœnam esse malum passionis; si quis eam vel per dolorem, vel
per malum molestum seu positionem mali definire velit, consentio,
diversa enim tantum vocabula sunt, res eadem. Utilior meditatio
erit & scopo nostro maximè accommoda, annotasse hic, quod nam
malum præcisè pœnam constituat, & quod in laxiore significato pœ-
næ nomen habeat.

§. XI.

Nimirum absolvunt poenam cæteris paribus actus illi, qui malum seu dolorem immediatè inferunt; nihilominus etiam totus complexus & cumulus omnium delinquentis actuum in executione occurrentium poena vocari solet.

§. XII.

Clarius ita: poena hoc sensu denotat omnes ad executionem ejus necessarios actus, sive immediatè infligant dolorem, sive cum proximè antecedant.

§. XIII.

Utriusque generis actus distinctius intelligemus, si præmiserimus modos quosdam, quibus dolor delinquentibus affertur, nam sic circa singulos postea ostendi poterit, quid antecedit dolorem, quidve inferat.

§. XIV.

Sentiunt dolorem ob jacturam opum, qui mulctantur: Libertatis, qui vinculis & compedibus detinentur: existimationis, qui per sententiam judicis declarantur infames: Sanitatis & integritatis membrorum, qui manu aliove membro, igne aut alio modo privantur: vitæ, qui patibulo affiguntur, veneno enecantur, decollantur &c.

§. XV.

Antecedentes hic dixeris actus, apportare pecuniam, offerre pedes, ut vincula injiciantur, applicare manum igni, porrigere gladio collum, & sic porro.

§. XVI.

Ipsa ereptio pecuniæ, coërcitio vinculis, infamiæ nota, ustio manus, gutturis infaustâ recte compressio, interemptio sæviente in viscera veneno, detruncatio capitis, actus sunt immediatè dolorem inferentes.

§. XVII.

Sed non unius generis, priores enim, nimirum multa & infamia dolorem excitant in homine, quatenus homo & rationalis est; reliqui naturæ hominum animali inimici sunt, & vel sine læsione membrorum, dolorem inferunt, ut captivitas, vel cum læsione; hiq̄ue vel exter-

nam

nam tantum coherentiam partium solvunt, ut ustio manus, vel totam compagem & internam structuram destruunt, ut interemptio reſe, veneno, securi, rotâ aliisque mortis instrumentis.

§. XIIX.

Omnes & singuli, si excipias multam & captivitatem, denuo ratione graduum notabilem aliquam differentiam admittunt: alii enim dolorem inferunt, qui, modo homo non sit molliter educatus, modo rectâ ratione utatur & debito modo se præparet, adhuc vinci potest. e. g. si manus per breve tempus & paulò remotior ab igne uratur, si capite quis plectatur. Alii dolores acerbissimos excitant, qui prorsus intolerabiles sunt, & quos homo sibi relictus, nec palo alligatus, aliove modo coactus, nullo modo perferre potest. e. g. si manus diutius & propior igni uratur, a) vivi comburiunt; supplicium rotæ, ardentis laminæ, ferventis olei, continuatæ deartuationis & alia atrocissima supplicia, quæ humanum ingenium in destructionem sui ipsius excogitavit.

a) *Exemplum Mucii scævole, de quo Livius lib. II. capit. 12. ut & alia prorsus aliquid extraordinarii sunt.*

§. XIX.

His ita cognitis, facile apparet, quod phrasus *pœnas pati* duo inferat: vel non resistere superiori quoad actus ipsum dolorem inferentes, sive sint superabiles adhuc, sive superari nequeant: vel non resistere superiori, sed sponte potius peragere actus pœnam proximè antecedentes.

§. XX.

Nunc dispiciendum est, qui nam significatus hujus sit loci, & quibus actibus resisti à delinquentibus noluerit Princeps. Prior significatus sine dubio hinc exulat: sive enim spectes dolores intensissimos & impatibiles, sive eos qui adhuc, difficillimè tamen & extraordinariè superari possunt. Ad illos tanquam ad speciem impossibilium, quæ legum nos sunt capaces, Princeps subditos sibi non potuit, ad hos, si multam excipias, non voluit obligare: præsumitur enim in iis, ubi contrarium nec necessitas urget, nec utilitas, memor fuisse humanæ imbecillita-

cillitatis. Utrunque obligationem dissuadet finis poenarum, emendatio civium, qui obtineri non posset, nisi in ipso actu ultimo delinquens repugnantiam aliquam & doloris indicia declararet, quo territi cives dediscant peccare.

§. XXI.

Ergo posterior hujus loci erit, idque solum in quæstionem venit: *An delinquens jussus ab imperante actus proximè dolorem antecedentes, & multam excipere teneatur?* Dico *jussus*, quo ipso excluso partim rigidissimam illam sententiam contendendum: teneri delinquentem, si vel maximè damnum datum restitutum sit, se ipsum deferre, quo poena à legibus statuta in ipsum deferatur; partim eorum assertum, qui paulò mitiores tunc saltem obligationem urgent, cum delictum superiori innotuit. Utrobique enim difficultates sunt satis magnæ; præsertim in priori. Nam peccata punienda non sunt, quæ nec directè nec indirectè spectant ad societatem humanam, aut ad hominem alterum. Ratio est, quia nulla est causa, cur non talia peccata relinquuntur DEO punienda, qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æquissimus, & ad vindicanda potentissimus. Quare ab hominibus punitio talis institueretur planè sine utilitate ac proinde mendosè: ita Grotius. a) Jam vero peccata, quæ occulta sunt, si datum damnum sit resarcitum, non spectant ad societatem humanam, quia eam non lædunt; par itaque est, ut DEO punienda relinquuntur. Accedit, quod ignorantia delictorum plus sæpe profit Reipublicæ, quam gravissima poena: nam nitimur in vetitum semper cupimusque negata; cur ergo in publicum producantur delicta, causam non video. Qua propter nos tunc demum asserimus obligationem ad actus poenales excipiendos, si jussus fuerit delinquens; quod idem mox probatum dabimus, modo prius quædam adhuc præsupposuerimus.

a) *Lib. II. cap. XX, 20.*

§. XXII.

Sine dubio certissimum est (1) subditum ad ea omnia, ad quæ ut subditus Principi obligatus est, obligari ex pacto; abstrahendo enim à pacto inter Principem & cives nec superior datur nec subditus.

§. XXIII.

§. XXIII.

(2) Requiritur ad obligationem per pactum necessario consensus, a) cum obligatio sit ejusmodi qualitas moralis, quæ meam libertatem justè restringit ad dandum aliquid vel faciendum, pacta autem non nisi à paribus ineantur, quorum neutri aliquid in alterum licet, si enim liceret, pactis non opus esset.

a) *D. Albert. Comp. J. N. Part. II. cap. VI. §. seqq.*

§. XXIV.

Et (3) quod consequens præcedentium est, quod si subditus etiam ad pœnam sustinendam, quam Princeps infligit, obligetur, obligari eum ex pacto, nam pœnam patitur ut subditus, indeque etiam necessarium esse, consenserit in eam, si debeat valida esse.

§. XXV.

Enim vero, an eatenus consenserit, id adhuc dubium est & controversum; ergo, ut & hic scrupulus adimatur, tentemus inire viam, per quam tutò incedere possimus. Quid si proinde ad testem, alioqui satis accuratum iniqui indicem, nempe ad malam conscientiam provocaremus, quæ manet pœnas effugientes, indicio satis certo non licetè resisti? Benè, si modo fuga vera sit causa malæ conscientiæ; aut dubitari non sine ratione possumus, cum etiam ii conscientiam crucientur, quorum delicta adhuc latent, quibusque, ut se sponte pœnis subjiciant, obligationem incumbere non facile dicitur. Imò stimulos conscientiæ sentiunt, qui pœnas ob delicta jamjam sustinuerunt. Ergo ex alio fonte conscientia mala derivanda est: nempe oriuntur stimuli conscientiæ ex eò, quod sciam me scientem & volentem contra legem egisse & malum patrassè, & idcirco malum passionis mihi infligi posse, quandocunque deprehendar; hæc, quam diu timeo, conscientia mea tranquillitatis expers est. Insigne hujus rei exemplum in Caino habemus. a) Quam diu itaque certo non con-

a) *Gen. IV, 13.*

B

stat,

stat, me lege vel pacto teneri superiori, pœnas patienter sufferre, conscientia nihil certi determinare potest; sed ipsa adhuc dubia est, dubia autem, testis idoneus non est, nec admittitur. Ergo transeat hoc argumentum, cum non desint alia sine dubio majoris ponderis.

§. XXVI.

Nimirum, quæ lex firmiter conjunxit, tanquam antecedens & consequens, ea delinquens licitè separare non potest, & consentiendo in unum etiam necessariò in alterum consensisse creditur, cum posito antecedente, ponatur etiam consequens: ob id ipsum etiam, qui mutuo accipit pecuniam, consensisse in restitutionem dicitur. Esse vero delictum & pœnam conjunctissima, de eo nemo facile dubitat. Hinc Plato: *Ἐκείνο ἔδῃς ἕτε θεῶν ἔτ' ἀνθρώπων τολμᾷ λέγειν ὡς ἔ τῶ γέ ἀδικοῦντι δοτέον δίκην,* nec Deorum nec hominum quisquam hoc dixerit, injustè agenti non luendam pœnam.

§. XXVII.

Quod si regeratur: canonem allegatum, præsertim si nexus necessarius sit, suum habere valorem, hoc autem exemplum subsumi non posse, cum delictum & obligatio ad perferendas à delinquente pœnas non firmiter cohæreant. Verum equidem esse, quod pœna sit necessariùm consequens susceptæ actionis vetitæ seu Legis violatæ, & legis naturalis transgressionem pœnam manere, quia hæc legis cujusque sit certa comes: neque repugnare, ut qui malum fecit, malum patiat. a) sed, ut à necessitate pœnarum, condudi statim possit ad obligationem delinquentis intuitu Principis, tantum abesse, ut potius ea ad solum Magistratum restringenda videatur, præsertim cum DEUS ipse, quotiescunque de pœnis

a) Conf. Weisii Compend. Jur. Nat. in Institut. Orator. lib. I. pag. 370. seq.

in scriptura b) loquitur, obligationem intuitu earum ferè unice
restringat ad Magistratum, inculcando ne impunita sinant delicta,
nihil addendo de officio delinquentium.

b) *Gen. IX, 6. aliisq; in locis.*

§. XXIIIX.

Sed adhæc quidem parata responsio est, quod quidem non se-
quatur: jus infert obligationem, ergo statim delinquens erit obliga-
tus; optimam interim esse consequentiam; ideo obligari delin-
quentem, quia consensit quod transgressionem Legis, quam ratam
habuit, pœna sequi debeat. Nimirum præter nudum nexum de-
licti & pœnæ adhuc aliud quid est, quod obligationem ad delin-
quentem restringit, ejus consensus in Legem, & consequenter in
pœnam. Neque negatur, quod superior etiam obligetur ad pœ-
nas infligendas, saltem ad eas, quæ promovent utilitatem com-
munem, cujus tamen determinatio arbitrio Principis relicta est.
Sed hic valet ille Canon: unius positio, non est alterius exclusio.
Illa contradictio etiam tantummodo apparens est: superiorem
obligatum esse, & simul jus habere ad pœnas distribuendas, non
enim terminantur ad idem; obligatus est Reipublicæ & DEO, jus
habet respectu delinquentis per consensum quæsitum.

§. XXIX.

Et seponamus argumentum illud à consensu petitum; An
ideo non probabitur, etiam ex ipsis concessis, adesse obligationem,
ex parte delinquentis necessariam? Nam Princeps, vi obligatio-
nis illius puniens delinquentem, sine dubio justè agit, quod etiam
ipsimet dissentientes non negant, dum asserunt: *in Rectoribus ci-
vitatatum esse potestatem pœnam convenientem exigendi.* a) Si justè,

B 2

jus

XXXX. a) *Pufendorf. de J. N. & G. lib. IIX. c. III, 5.*

jus adesse necesse est, jam ubi est jus ad poenas inferendas, ibi etiam obligatio est ad eas sustinendas, cum jus & obligatio sint correlata, quorum unum absque altero ne quidem concipi potest.

§. XXX.

Id adhuc regei posset: constare sic equidem, obligari delinquentem, ut poenas sustineat, nondum tamen esse probatum, eas sponte sufferendas, omnemque elabendi occasionem illi eo ipso illicitam esse; de hoc tamen quari. Distinctissima enim esse hæc duo: teneri ad poenas, ita ut delinquens de injuria sibi illatâ, aut quod in humaniter secum agatur, conqueri non possit, si deprehensus vi ad supplicium trahatur: a) Et teneri ad poenam ita, ut si vel maxime elabi possit, tamen non liceat, sed teneatur subsistere & expectare dolores.

a) *Pufend. lib. IIX. cap. III. §. 5.*

§. XXXI.

Nimirum jus, quod per pactum oritur, nisi consensu; hinc quousque se ille extendat, eo usque etiam jus, & consequenter in altero obligationem valere. Jam vero in arbitrio paciscentis esse; num acceptanti tantum velit locum facere & facultatem concedere vi sibi aliquid extorquendi, reservatâ tamen sibi potestate resistendi; vel saltem malum evitandi: *neq; esse absurdum meo consensu potestatem aliquam constitui, qua postea quosdam actus in me invito possit exercere, id. l. c.* an simul etiam libertatem suam restringere, ut plane repugnare in posterum non liceat. Exeipi etiam non posse, quod illud jus effectum vel nullum, vel certe exiguum habeat, si resistere liceat jus suum persequenti. Id enim effici, ut deprehensus & poenâ affectus conquerendi de injuriâ justam causam non habeat, haberet autem, si exercitium facultatis illius non fuisset approbatam.

§. XXXII.

§. XXXII.

Verum enim vero omnia ea, quæ in medium prolata sunt, vana & irrita reddit observatio hæc unica: sermonem hic esse de subdito merè tali i. e. eò qui Principi perfectè obligatur. Jam concipe tibi perfectè obligatum, qui nihilo secius facultatem resistendi sibi reservaverit. Si reservavit eam, eatenus Princeps jus illud non habet, quod superioritas & Imperium requirit, atque particulam Majestatis constituit, nec subditus perfectè obligatus erit.

§. XXXIII.

Ergo concludo: subditum ad pœnam patiendam firmiter esse obligatum. Quod porro hoc modo probo: Convenimus in eo, quod per reliquas partes summi Imperii facultas & libertas naturalis civium adeo arctè vincula sit, ut nullo modo licitè frana mordere possint. Et si enim, antequam in civitatem cowerunt, & Imperium uni vel pluribus contulerunt, in libertate naturali constituti erant, ubi omnis, quantiscunque animi corporisque aut fortunæ bonis antecederet alios, non minus tamen Juris naturalis officia, adversus illos exercere debebat, ac ipse ab illis expectabat; communem enim naturam habebant, & alter præ altero nihil allegare poterat, quod inæqualitatem juris inferret. Nam ex corporis viribus majoribus jus nasci falsa hypothesis Hobbesii est, a) & ab aliis refutata. b) Quilibet ergo hoc in statu naturaliter ad arcendam à se injuriam jus habebat resistendi; ita ut imperata alterius validè spernere, bona exacta denegare aut vi fraudeque ablata repetere licuisset. Quam primum autem societatem civilem ad tuendam tranquillitatem constituerunt, statim civitati jus quoddam majus in eos & eorum bona natum est; ita ut bona sub

B 3

nomi-

a) De Cive cap. I. Levi atban. c. 13.

b) Præter alios: vid. Dn. D. Albert. Comp. J. N. Part. I. c. I. §. 23. Part. II. cap. XI. §. 7.

nomine tributorum postulata promptè offerre, jussis tanquam legibus obsequium præstare & in cæteris, quæ possibilis sunt, liberè & sponte sese movere teneantur. Omnia hæc ideo, ut tranquillitas & beatitudo civilis obtineri possit.

§. XXXIV.

Jam nullam causam video, cur non facultas civium, particulâ Majestatis poenam concernente, in eosdem angustos terminos inclusa credatur; ita, ut licuisset antea vulnerationem & alios actus tanquam injustè exercitos repellere, nunc non amplius liceat. Par hic est ratio, absurdi nihil; par etiam, i. e. summa necessitas flagitat. Alias profectò finem suum civitas consequi non posset; nam præterquam, quod sic securi redderentur plurimi, qui eo audentius delinquerent, scientes sibi licitum esse rursus è carcere aufugere, bona conscientiam sine omni peccato, etiam post latam sententiam omnia elabendi media tentare vinculaque dirumpere: a) præter ea, inquam, vita Principum & salus publica præsentis periculo exposita essent. Fac singulos sese obligasse, quod delinquentem, non solum defendere velint, sed & si opus sit, vires suas accommodare contra eum, quem Rector civitatis supplicio est affecturus, b) an ita securitati Principum satis cautum erit? Quid si delinquentium notabilis sit multitudo? Hæc sane, si confidat viribus, si persuasa sit de justitiâ conatus sui, cum ruinâ etiam & Principis & civitatis vim illatam repressura est.

a) Meisn. Phil. Sobr. Part. III. Sect. I. Quest. Ethic. de Veracitate Quest. V.

b) Pufend. l. c. §. 1.

§. XXXV.

Firmatâ Thesi nostrâ videamus etiam qualia & quanti roboris sint argumenta, quæ adversus eam proferri solent. Primò urgetur:

getur: delinquentes ideo obligari non posse ad poenas, cum ad speciem impossibilium referendum sit, si quis promittat, quod nolit resistere mortem & vulnera aliove modo dolores inferenti. Hominem enim (1.) non posse non necessitate naturali mala illa omnibus modis averfari. (2.) Obstare etiam legem: *hominem non debere ipsum facere aliquid, unde mors ipsius sequatur; jam manere reum in carcere, & consequenter etiam non resistere, si possit, esse facere illud, unde mors sequatur.* a) Adeoque ejusmodi quid, utut non ultra vires naturales sit, extra arbitrium tamen hominis esse & moraliter impossibile, cum Legislator contraria nullomodo velit, vellet autem, si jam determinato aliquo actu contrariam ei determinationem approbaret.

a) *Hobbes de Civ. cap. II. §. 18.*

b) *Gregor. de Valent. Tom. III. Disput. V. Quest. XIII. puncto. 4. col. 1356.*

§. XXXVI.

Quod ad primum attinet, dubium eximi potest, si modo actus poenae antecedentes dolorem distingvantur ab iis, qui dolores praesertim vehementes & acutos immediatè inferunt. Posterioris generis actus ad impossibilia referendos esse, adeoque pactis materiam non dare, inficias ire non possumus; sed de his quaestio non est; ergo sufficit, quod natura priores non abhorreat, id quod supra fusius deduximus. Ad secundum membrum prompta responsio est, scilicet simpliciter negamus, actus illos ad impossibilia lege pertinere, non enim contradicunt hæc sibi: noli mortem tibi accersere non iustus, & mortem tibi accersere iustus. Injussu Imperatoris de praesidio & statione vitae decedere non debet homo,

a) si vel maximè etiam studio Virtutis vel odio vitii fiat, hoc enim modo violatur Virtus eaque præcellentissima, ipsa nimirum Pietas

a) *Pythagoras apud Ciceronem in Cat. Maj. n. 73.*

in DEUM, quia usurpatur ab homine jus, quod unice DEO competere novit, certè ex Lumine naturæ nosse potest & debet. Licet tamen, imò debet is, si jubeatur: quicquid enim tunc agit, non amplius pro actione ipsius rei haberi potest. Sic sine dubio fontes jussu superioris licite sibi manus inferunt, quod de Æthiopicis Diodorus Siculus observavit, qui videntes missum aliquem ex lectoribus signum mortis præferentem, domum abeunt, sibi que mortem consciscunt, *lib. III. cap. V.*

§. XXXVII.

Porro aliquoties urgetur, quod pœna significet aliquid, quod invito est imponendum & voluntatis aversionem ab illa involvit; citra hoc quippe pœnam finem suum haud quicquam consequi, qui est acerbitate suâ homines à peccatis abstervere. Pufend. l. c. cap. III. l. 4.

§. XXXIIX.

Hic aliis placet simpliciter negare Minorem, sive quòd necesse sit pœnas infligi invito; asserunt enim: nihil interesse, volens an invitus delinquens eam excipiat; tum etiam de consequentiâ Majoris dubitare; an colligi possit, delinquentes ad pœnam non obligari, si concedatur pœnam invito esse infligendam. Accuratiùs mihi illi ratiocinari videntur, qui probè distinguunt pœnam, & tunc demum negant, eam non nisi invito infligendam esse, si vox pœnæ supponatur pro actibus antecedentibus dolorem: nam cum hi pœnæ propriè dictæ definitionem non ingrediantur, nulla pugna est, si pœna denotet aliquid quod ab invito sustinendum est, hi actus tamen spontè peragi debeant; quod si verò pœna notet actus dolorem immediatè inferentes, totum argumentum concedunt salvâ thesi, i. e. his non obstantibus nihilominus delinquentem obligari. Illud, quod dicitur, nihil interesse, volens an invitus delinquens pœnam excipiat, vellem paulò fusiùs demonstratum fuisse, ut & illud: posse
me

me obligari ad eos actus, quos invitus suscipere debeo; nam cum obligatio postulet, ut aliquid ultrò faciam, & inviti verò natura exigat, ut resistam, non video subjectum & prædicatum habere debitam scilicet & habitudinem. Ostenditur equidem obligationem non tantum involvere, ut ad aliquid ultrò ac libenter movear; sed etiam, nisi ultrò movear, invitus possim cogi: verum nec hæc sufficiunt ad convenientiam illam, quam in enunciatione antecedens & consequens necessario postulant; quippe obligatus debet velle, invitus non debet velle, sed nolle. Hæc obiter.

§. XXXIX.

Sic, ut puto, demonstratum quidem dedimus, non obstare quicquam, quo minus delinquens possit ad pœnam obligari. Jam inspiciamus etiam ea, quibus probare conantur, ut potuerit fieri, factum tamen non esse. Primò urgeri solet: *Delictum à nemine admitti, quin simul speret se latendo, aut aliâ ratione pœnam declinaturum, ergò non videri aliquem in pœnam directè & immediatè consensisse, aut potius ex proprio consensu ad eandem sustinendam sese obligasse.* Pufendorff. loc. cit. §. 5.

§. XL.

Respondemus; delinquentem etiam sperare, se latendo aut, aliâ ratione reparationem damni declinaturum esse, & nihilominus firmiter ab ipsis dissentientibus ad eam obligatus creditur. Quæ ratio? sine dubio hæc; quia spes illa latendo aut aliâ ratione reparationem damni à se declinandi, consensum non excludit, vel certè validè excludere nequit. Nam lex naturæ exigit reparationem damni, hanc tollere hominis non est, sed consentiendo in damnum necessario in restitutionem ejus consentit; & omnes cogitationes Legi adversæ prorsus vanæ sunt & irritæ. Eadem dicenda sunt, de pœnis: nam & hæc naturaliter sequuntur delicta: & cum in civitate delicto publicato executio earum ex consensu (quem superius

C

demon-

demonstravimus) Principi sit commissa , non potest non delinquens esse obligatus , si jubeatur , ut eas subeat. Ergò spes illa poenam justè à se declinari posse , etiamsi jam deprehensò & victo , effectum prorsus nullum habet.

§. XLI.

Pergunt : *Eis , qui pacto tenentur , credi , illis autem , qui ad supplicium ducuntur , dum vinculis constringuntur , aut satellitibus custodiuntur , non credi , idè non videri illos pactis ad non resistendam satis obligatos esse.* Hobbes. de Cive , cap. II. Pufendorff. Libr. III. c. VII. 5.

§. XLII.

Sed fallunt hæc signa , quod instantiæ probant : Ampla potensqve civitas nihilominus obligata est Principi , etsi præsidia disponantur prohibendæ eorum perfidiæ , etsi arces exstruantur reprimendæ libidini adversus Principem insurgendi. Conclavia & cistæ probè muniuntur seris , utut lex dicat : suum cuique relinque & tribue. Ergò , dum vincula injiciuntur , nullo modo dubitatur de obligatione. Includit Magistratus maleficos carceri , ligat manus , cum ad supplicium ducuntur , partim ut suo officio satisfaciatur , nec aufugere permittat , quibus Leges divinæ pariter atque humanæ poenas decreverunt : partim ut perfidiæ delinquentium præveniat , eum meliùs sit prævenire quàm præveniri : partim , ne naturalis pugna & fuga mali (quod fit ubi dolor ipse oritur) actus , quos justitia exigit , irritos faciat.

§. XLIII.

Tandem & hoc affertur : *Inutile fore tale pactum ; equidem sic frequenter pacta iniri , nisi constitutâ die fecero , interfice ; ast illud pactum : nisi fecero , interficienti non resistam , iniri & inusitatum esse , & inutile. Sufficere enim ut ipse , sc. Magistratus , possit nocentibus poenam*

nam infligere, si cives singuli fidem dent, quod non velint eum, à quo supplicium sumendum, per vim defendere. Hobbes. de Cive. cap. II. 18.


§. XLIV.

Hic equidem non negamus, pactum esse inutile, si inutile idem sit, quod superfluum, & quod nullum effectum novum producit; sufficit enim illud: Interfice me, si hoc non præstitero: dum enim jus me interficiendi alteri sub certa conditione transfero, eo ipso promitto, quod conditione impletâ jus suum exercenti non velim resistere; aliâs jus ejus sine effectu esset: sicut effectum nullum haberet, si quis invitaret hospites, ac iis accedentibus clauderet fores; aut si civitas promittat hosti deditionem & ingressum tormentis vel clausis portis ab eâ arceret vel propelleret. Quodsi verò inutile significat id, quod effectum planè nullum producit, prorsus falsum est, nam cum civis futurus adhuc in statu naturali constitutus sit, in quò ultra restitutionem damni, & cautionem de non amplius lædendo progredi non licet, perspicere sanè non possum, eum justè sine consensu puniri posse. Inde non sufficit, ut Princeps nocentibus pœnam inferre possit, si singuli cives fidem dent, quòd non velint eum, à quo supplicium sumendum est, per vim defendere; aliorum enim consensus tertio obesse non potest, certè non debet.

§. XLV.

Sunt quidem adhuc alia, quibus thesis nostra impugnari solet; verùm, cum ea partim iisdem responsionibus refutari possint; partim ab aliis jam refutata sint, hic subsistimus, &, quod superest, DEO pro concessis viribus laudem contribuimus.

F I N I S.







Leipzig, Diss., 1688

ULB Halle 3
004 777 085




f

Sb.

VONA







B.I.G.

Farbkarte #13

1688, 6 M 7
 B. V. MORALIS 53. M
C I O
ENT IUM
 ENARUM,
 IS PHILOSOPHICÆ 2 1/2
 TU
 ORUM EXAMINI
 S E S
 IS LUDOVICI,
 - Silesius,
 D E N S
 wald / Zittâ-Lufatus,
 udios.
 M DC LXXXVIII.
 Q. C.
 HRISTIANI GOEHL.

